

Nicolaus Schütze Jacob Sebastian Lauremberg

Disputatio Inauguralis De Titulis

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822931990>

Druck Freier  Zugang



Titel

N. Schütz (J. L. Lauenberg) / f

R. U. nr 1646.

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE

TITULIS

Quam

AUXILIANTE DEO

*Decreto Amplissimi fctorum Ordinis in Inclyta
Rostochiensi Academia*

PRÆSIDE

VIRO

Magnifico, Amplissimo & Consultissimo

DN. NICOLAO Schützen/ J. U. D.

Codicis Professore p. t. Academiae hu-

jus RECTORE Magnifico & Facultatis Juri-
dicæ DECANO Spectabili, Mœcenate &

Præceptore suo pl. honorando.

Pro Titulis, Insignibus & Privilegiis

in utroq; JURE DOCTORALIBUS legi-
time consequendis

Publico Examine submittit

JACOB SEBASTIAN LAUREMBERG!

Habebitur in Auditorio Majori


XXIV. Martii Horis ante- & Pomeridianis


☉(***)☉

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XLVI.





UT hic & ille honoripeta qui virtute non potest
 nefariis inclarescat ausis

undiq. cotus

— *usq. adeo turbaetur Orbis*

dic quæ feralium bellorum & tot luctuosissimarum cladium causa alia quam inexplebilis gloriæ & rerum cupido? scilicet ob frustillum terræ, atq; insanas TITULORUM congeries decretoriis armis Patriam delemus, cuius pars nulla sævitæ nostræ superest sanguinis humani veluti sordidæ rei prodigæ, & teterrimis spectaculis lætanti; O cruda & humanitatem exuta pectora quæ nefandus auri & vesanæ laudis pruritus stimulat ad tam abominandam barbariem! At vero quotus quisq; est qui justo sua se possidere TITULO aut gloriari verè possit, aut probare compellatur? exquirere possessionum autoritates stultum nunc habetur, possidere sufficit etiam quo vis prætextu, nec interest intervertas subdole aliena, an cedente infelicius astu palam rapias, utrumq; enim comprobatis seculi moribus impunè est, sed pessumis mehercules; hinc consilium mihi detegere quid cuiq; juste obveniat.

intend

THESES I.

Tituli seu à tutando sic dicti secundum Varronem seu τὸ τῆς τοῦ τίτου ut volt Beckman, de Originib. Lat. Ling. varios invenio significatus apud assiduos autores 1. Dignitatis & honoris nota est ut apud Liv. l. 6. Ovid. l. 1. Tr. El. 1. & 4. El. 5. hujusmodi tituli ligneis comprehensi tabulis prædiis appendebantur ut ex his cujus essent, cognosci posset, quo pertinent t. t. C. ut nemo privat. tit. præd. & de hū qui possunt. nomine tit. præd. adfig. Novell. 17. c. 15. Augustin. ψ. 21. Sic prædiis caducis rerum privatarum.

Comes Principis titulos solemniter adfigebat l. 3. C. de bon. Vacant. l. 2. C. de aqua ductu. 2. Inscriptio, indicina, epigraphæ Julius Cas. Scaliger lib. 1. Poet. c. 9. ita damnatis ad mortem reis sublimiori supplicii loco necis causam inscribentur quemadmodum Christi Matth. c. 27. v. 36. Lui. 23. v. 37. & alius cujusdam canibus obiecti hunc titulum, impiè locutus Parmularius annotavit Sueton. in Domitian. c. 5. & ex eo Duaren ad tit. D. de in lit. jur. n. 54. ejusdemq; census alium Martial. l. 2. Ep. 12. 3. Prædia sunt Clericis ad victum destinata 1. F. 6. c. sanctorum dist. 70. vel etiam 4. ipsa Ecclesia ut titulus S. Petri si fides Joan. Bertach. in Repert. 4. p. V. titulus 5. Privilegium ut Novell. 131. 6. deniq; Festus autor est homines Stratioticos titulos dictos.

2. Mihi vero in proposito titulus est justa possidendi & per hanc quandoq; dominii acquirendi causa l. 1. pro solut. l. 24. ult. C. de Rei Vind. l. 4. C. de long. temp. Præscript. l. 2. 11. C. de Hered. Petit. l. 10. in pr. ff. si Servit. vindic. l. 9. C. Fam. Herc. l. 28. de acq. rer. dom. § ult. 7. de usucap. l. 52. de acq. vel am. Poss. Bald. in l. ancilla 12. C. de Furt. Gotofr. ad l. 13. ff. de Hered. pet. Sneyd T. de usucap. n. 32. Cujac. ad l. 3. de usurpat.

3. Hos æquitatis ratio inttroduxit, nam cum aucto mortalium genere necessaria rerum discretio esset, instituendæ videbantur causæ ex quibus cuiq; rem præhendere, occupare, & inculpatè possidere liceret, & qui proin titulum aut nullum, aut non justum, is quoq; nullum possidendi jus, nullumq; ex possessione dominium arrogare sibi quiret, his & postea Jus Civile de suo non paucos adjunxit.

4. Atq; hinc est, quod tituli legitimi alii, alii inlegitimi dicantur; hos possessioni prætextit fur, prædo, lacrunculus l. 12. de hered. petit. l. 5. de acq. Poss. And. Clad. 27. de condic. Indeb. c. 3. n. 24. & is qui à furioso, qui à infante emit l. 13. §. 1. all. tit. de H. P. l. 7. C. de agricol. & Cens. item uxor quæ à marito, l. 1. de donat. int. vir. & ux. filius qui à patre res donatas sibi jactitant l. 1. D. pro donat. sed horum figuras & exempla habemus insuper, acturi aliquanto fusius de legitimis.

5. Eos Bartol. in l. 1. ff. de fund. dot. & in l. si ager de Rei vindic. partitur in Universales & particulares, quæ quamvis aliis displiceat tributio, non tamen est utilitatis expers; sunt enim quæ universali titulo transferri possunt, singulari non possunt, l. 62. de A. R. D. l. 38. §. 3. de legat. 3. l. 1. §. 1. de fund. dot. l. 24. de Contrab. Empt. l. 4. C. de Relig. & sumpt. fun. l. 53. §. 1. ff. de Action. Empt.

6. Uterq;

6. Uterq; rursus vel onerosus, cum is qui lucratur quid, adstringitur per formam negotii ut aliud rependat in vicem, detq; quid aut faciat, quales sunt omnium penè contractuum; vel lucrativus cum re potitur quis sine onere, sine redolimento, sine impensa quorum exempla sunt in l. V. C. de impon. lucrat. descript. hujus divisionis insignem usum vel sola l. 5. C. de revoc. hi que in fraud. cred. & §. 6. 7. de leg. edocent.

7. Deniq; alius titulus verus est alius putativus, quem hauri ineleganter dixeris bonæ fidei: scilicet cum quis putat se justam habere possidendi causam qua tamen reapse destituitur, cui ignorantia non solum impunitatem LL. tribuunt, sed & hoc privilegium ut idem operetur, quod veritas, l. 136. d. R. 7. etenim indubitatum est, & in antecessum semel admonuisse sufficiat unum idemq; esse, sive habeas titulum, sive habere te non vane credas, l. 11. pro Empt. l. 2. §. 15. 16. ibid. l. 4. pro suo l. 3. pro solut. l. 67. de Jur. dot. l. 36. de A. R. D. Bachov. ad Tr. v. 2. disp. 22. §. 5. d. E. Sultb. disp. 6. aphor. 1. §. 27.

8. Cærerum infinitas possidendi acquirendiq; species seu quod idem est titulos esse Paulus l. 3. §. 21. de acq. vel amit. Poss. dicit, ut proin hauri facile iudicatu sit quem cui præferas: liceat mihi eos cum Oldend: Goddæo & aliis post præmissas divisiones dispescere in nominatos & innominatos sed autoritate & periculo horum Dd. Innominatos appellant qui ex Jure Naturali apud omnes æque gentes recepti nullam solemnem ac certam formam nullum privum ac peculiare nomen nacti sunt, unde cum iis (sola traditione excepta) modus acquirendi ita commiscetur, ut unum idemq; esse videantur, docente Bachov. ad §. 40. J. de Rev. div. & Tr. v. 2. d. 20. §. 2. l. A. Hos inter præcipuè eminent Accessio & Apprehensio, Illa est cum rei jam ante nostræ aliquid accedit vel citra factum hominis sola operante natura, ut foetus ex animalibus nostris, §. 19. J. de Rev. div. pars agri alieni agro nostro seu latente incremento §. 20. seu impetu & vi fluminis §. 21. vers. pland itemq; siccatus & ab aquis destitutus alveus §. 23.

10. Vel per factum hominis: ita quod solo nostro etiam bona fide inædificatur, implantatur, inseritur, vestimentis intexitur, chartis inscribitur nostrum sit §. 26. & seq. ib. ad accessionem referri potest Specificatio itemq; Confusio, Commixtio quando ex materia sive diversa, sive eadem, communi mihi cum alio, vel aliena tantum, aut formatur novum corpus, aut res rei ita implicatur ut sequestrari & se-

jungi difficulter possint, in quibus quid Juris, *vid. A. ad. tit. G l. 27. ff. de A. R. D.*

10. Apprehensio seu Occupatio est qua *ad demum* resque nullius apprehendimus, §. 12. 39. 46. d. t. l. 3. de A. R. D. retinemusque; donecum se receperint in libertatem naturalem, quo casu dominium earum non quidem per se amittitur, sed saltem ex conjectura quadam haut improbabili; vel etiam aliis invitis vi armorumque præsidio eas eripimus, animatas, vel inanimatas, mobiles vel immobiles, in quarum tamen acquisitione non est una differentia, etenim illæ nostræ fiunt simulatque; in præsidia & fines nostros deductæ sunt l. 1. §. 1. de capt. & postl. rev: hæc demum ubi munimentis ita inclusæ, ut commodus & facilis aditus ad eas hosti negatus sit & præceptus l. 18. §. ult. ff. de acq. vel amitt. Poss. Illæ interdum occupantibus, sinterdum Reipubl. vel Principi, hæc semper his cedunt; & hæc occupationis figura Captivitas dici sovet, quo possidendi acquirendique titulo familiarior alter hodie non est, utpote cum plurima orbis pars hoc Jure Belli possideatur ejusque cladibus domita, imo vastata sub dura & ærumnabili occupantium pressurâ eheu! nimis quam flebiliter ingemat.

11. Neque tamen dicere ausim injustè hoc modo acquisita possideri, namque tribuit Bellum justam possessionem, justum dominium si modo justum sit, i. e. geratur autore utrinque; eo qui summam & absolutam potestatem habet, l. 118. de V. S. c. ab Imperatoribus 23. q. 3. Unde si Principis Imperium certis pactionibus sit circumscriptum, bellum sine consensu subditorum movere non potest, sique facere id attentet, illi ad præstanda auxilia neutiquam tenentur, Magnus Corbmannus *disquisitionum de Jur. belli* §. 29. Ita Romanus Imperator non aliter quam consciscientibus Imperii statibus imprimis SS. Electoribus indicendi ejus jus habet, *Sleidan. de Stat. Relig. l. 1. Capit. Casar. art. 9.* Principes reliqui prorsus non habent, *M. N. de Anno 1526. §. sum andern/ nisi à summo hoc illis sit concessum, vel improvisus insultus morarum spacia, & consensus acquisitionem non patiat, aut eundem Imperator lentis procrastinationibus deneget, arg. l. 7. §. 3. quod vi aut clam tot. tit. C. Quand. liceat unic. sin jud. Goddæus Conf. 130. Arumiam de Jur. Publ. v. 17. discurs. 23. Warem. ab Ehrenberg de Fæder. 1. c. 2.*

12. Quod si vero sine iadulgentia ejus arma sumere sustinuerint, in
pœnâ

pœnam fractæ Pacis Publicæ, violatæq; Majestatis incidunt, & motus tales non bella, sed latrocinia sunt, l. 1. C. ut armor. usus l. 3. §. ad l. Jul. Maj. K. O. p. 2. tit. 15. Arnif. l. 2. de Jur. Maj. c. 5. atq; contra hos tales nefarios perduelles mandata avocatoria gemeine absoderungen/ sine clausula decernuntur, ex aula Imperatoris per Fecialem ducibus militibusque insinuanda, Gail. 2. de P. P. c. 4. n. 2. quibus sub pœna banni, amissionis omnium beneficiorum, & privilegiorum illis quidem ut militem illico oppido dimittant, his ne prece vel precio militare pergant præcipitur, Const. Caroli V. de P. P. Tit. von Mandaten des Cammergerichtes wider die Friedbrecher.

13. Dein Justifica debet esse belli causa Judic. 15. vers. 3. c. justum 23. q. 3. Guid. Papa decis. Gratianopol. 191. nam temere cum hoste congregari immane quiddam est, Cicer. 1. de Offie. in genere justum est quod pro defensione sui suorumq;, pro rerum bonorumq; repetitione, proq; injuriæ vindicatione suscipitur, Numer. 31. vers. 3. c. justum 23. q. 2. R. A. de Anno 1521. §. vnd als wir cap. Cas. art. 8. quæ conjunctim in Camilli ad Gallos denunciatione invenies: *Omnia quæ defendi repetiq; & ulcisci fas est, Liv. l. 5.* Et quidem defensionis justitia non solum ad præsentem sed & futuram vim pertinet, cum injuriam nobis inlatum iri certum est, l. 3. C. ad L. Corneli. de Sicar. l. 5. ad l. aquil. R. A. de Anno 1530. 32. §. vnd damit solcher beschwerlicher Krieg.

14. Ultimo deniq; diffidatio, seu ut latinius loquar Clarigatio absagung / Aur. Bull. Car. IV. Tit. 17. justii belli requisitum est dd. communissimo, qua per Fecialem einen Herhold peculiariter amictum ut eum depingit Obrecht in disp. de Const. belli §. 214. immisso in hostem telo Gellius l. 16. c. 4. sanguine purpurato Fenestella de Sacerdet. c. 9. verbis solemnibus (quæ recitat Liv. l. 1.) vel etiam litteris hostilibus Feindbriefe (cujus census sunt quas Protestantes ad Carolum V. Anno 1546. & Ferdinandus Romanorum Rex Elektorq; Mauritius Saxo ad Albertum Marchionem Brandenburgensem misere annotata à Sleid. de St. Rel. l. 17. & 25.) bella indicuntur. Sed ego tamen & licere quandoq; sine hac cum hoste congregari, defendi posse arbitror: Volupe esset pro dignitate materiam hanc pertractare, sed sufflaminandus est calamus, ne extra propositi argumenti orbitam licentius evagari videatur.

15. Nominatos cum prædictis autoribus appello qui nomen certum, certamq; formam habent quibus pro re nata vel dominium plenum

num idq; confestim si à domino, per Usucapionem si à non domino res tradita sit *l. 74. de Contrab. Eempt. §. 40. de Rer. divis: vel utile, vel possessionem tantum nudam adipiscimur, scilicet his qui omnem usucapionem præscriptionemq; renuunt; Atq; hos permittim ordine indisposito imposterum subijciemus ut se memoriæ dabant.*

16. Et quidem belli quoddam imitamentum est litigantium in judicio conflictus, dum enim illi mutuis probationibus ferram controversiæ ultro citroq; reciprocant manum quasi conferere videntur; horum disceptatiunculas & velitationes Judex sententia sua dirimere solet in judiciis quidem divisoriiis & mixtis portionem cuiq; suam *l. 3. 2. D. Famil. Herc. l. 1. C. communi divid. aut etiam si commodam divisionem res non patitur totam arg. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars debeat. §. 1. f. de his qui sui vel al. jur. l. 34. §. 2. C. de donat. l. 2. c. de Metat. & Epidem. l. 11. §. 2. de Jurisd. l. 3. C. Comm. divid. ei attribuendæ qui plusculum juris in re habet, aut licitatione vincitur *l. 8. ff. de pact. l. 4. 5. Fam. Herc. l. 1. C. Comm. divid. DN. Mevius Comm. in jus Lubec. p. 2. Tit. 27. art. 5. n. 24. aut cui ex statuto debetur, quæ est ut major dividat minore eligat c. 1. X. de Paroch. Schurf con. 71. n. 20 sent. 1. Gail. 2. Observ. 116. n. 14. aut quem sors prætulerit arg. l. ult. C. Comm. de legat. §. 22. f. ib. l. 4. 5. ff. Famil. Herc. arg. l. 14. D. de Jud. Et hæc adjudicatio non solum possessionem justam *l. 17. & ibi By. de usucap. sed & statim dominium tribuit etiam si res tradita non sit ulpian. Inst. Tit. 19. §. 16. §. ult. l. de officio Judic.***

17. Eodem modo si ad L. L. præscriptum sententiam tulerit Judex, justum illa habebit autoritatis suæ pondus; Ut ecce ubi mihi ejus decreto res datur, occipio illam ipsam egregio & inculpabili titulo habere *l. 3. §. 3. ff. de Reb. eor. qui sub tut. vel cur. sin. decret. non alien. l. 13. §. 9. de acq. vel amitt. Poss. l. 36. Fam. Herc. l. 14 §. 1. de Relig. & sumpt. fun. Ubi servus à non domino jussu judicis noxæ mihi datur & ille quoq; Usucapione ad miniculante meus erit *l. 2. C. de Noxal. action. l. 6. §. 1. de re judic. §. 3. & ib. Rittersb. 3. d. 1. l. 6. de Publ. in rem action. Donell. s. Comm. 14. etiam si alienum eum esse non ignorem.**

18. Atq; ita se res habet si expectata fuërit judicis sententia, quod si vero latitare reus, & contumaciter judicium declinare sustinuerit, justis ex causis *l. 1. quib. ex caus. in poss. car. ereditor in bona ejus olim universa, hodie pro quantitate debiti l. 6. §. 4. C. de his qui ad S. S.*

Eccl.

Eccl. confug. Novell. 53. c. 4. in f. Aut. & qui jurat C. de bonis aut. jud. possid. initio quidem ex primo decreto, quo custodiam nudam & detentionem l. 3. §. 23. l. 10. §. 1. π de acq. vel amit. Poss. l. 5. in pr. ut in Poss. legat. vel fid. serv. caus. ess. lic. l. 12. quib. ex caus. in poss. eat. l. 9. de Rei Vind. l. 4. §. 4. ff. Comm. div. c. ult. §. in aliis vero X. ut lite non contest. non proced. c. 1. de dol. & cont. Prætoriumq; pignus l. 26. de Pign. action. l. 2. C. Qui Pot. in pign. non possessionem, l. 3. §. 8. ff. Uti possid. all. text. non fructus, imo nec regulariter alimenta quidem l. 7. quib. ex caus. in Poss. eat. post dein eo nondum comparente prævia petitione actoris Coler. de Process. Execut. p. 1. c. 2. n. 17. per l. 5. §. 2. C. de Judic. & Aut. qui semel C. quomodo & quand. Jud. sent. ferre deb. ex secundo decreto mittitur, veteri domino ejecto, quæ Missio tanquam justus titulus gloss. in l. damni §. si pupillus de damno inf. Possessionem ut plurimum, & Usucapiendi conditionem l. 5. §. 15, 16. all. tit. nonnunquam tamen & statim dominium tribuit Gal. de arrestis Imper. c. 1. n. 16.

19. Summa autem ratione & hoc ipsum à Principe quandoq; solet impetrari. Etenim cum iniquum sit creditorem frustrante affatim & solutionem negante debitore, inutiliter pignori incumbere, rite & bona fide ejus distrahendi licentiam jura impertiunt. t. t. D. & C. de distract. pign. quod si decursus proscriptionum & harum solemnibus non inveniatur emptor, id postulanti creditori à Principe addici solet l. 24. D. de Pign. action. l. 63 §. 4. de acq. rer. dom. l. 59. ad Sc. Trebell. l. 15. §. 3. de Re jud. hac tamen conditione ut intra biennium, computandum à die factæ additionis, reluendi pignoris facultas debitori non debeat auferri, post id vero irrevocabile & plenum dominium transeat in creditorem, nulla amplius concessa debitori repignoratione l. 3. C. de Jur. dom. imp. l. ult. C. si in caus. jud. pign. capt. sit.

20. Porro quamvis jure communi nemo plus juris in alium conferat quam ipse habet l. 54. de R. J. l. 20. de A. R. D. atq; hinc qui dominus non est dominio rei traditæ alium compotire non possit arg. §. 40. de Rev. divis. attamen id aliquando secus est, habentq; tituli hanc efficaciam ut plus tribuant quam penes autorem erat, scilicet si à reo non parente sententiæ, Magistratus jubeat capi pignora, eaq; distrahi per apparitores publicè, tum emptor talia emens exemptione hac

B

tan-

tanquam titulo consequitur dominium l. 1. 2. 3. C. si in caus. jud. pigre
capt. l. cum proponas C. de reb. aut. jud. poss. Donell. s. Comm. 3. n. 10.

21. Huic acquisitionis modo adde sequentem: qui rem alie-
nam à fisco emit aut ex donatione aliave causa accepit, statim do-
minus fit, securusq; existit etiam si transferens dominus non fuerit §. 9.
7 de Usucap. l. 2. C. de quadrienn. prescript. quod & postea ad res ab Im-
peratoris, aut Augustæ domo comparatas est porrectum l. 3 C. d. 2.

22. Justissimus quoq; sed plane singularis titulus est Confi-
scatio per quam in summa administrationis positi potestate, quibusq;
hoc suæ Majestatis reservatum participare dignatus est Princeps, ad-
quirunt l. V. C. Ne sine permiss. Princ. cert. jud. lio confisc. Rosenthal de
Feud. c. 5. concl. 62. n. 1. 4. Boerius dec. 264. quod de Confiscatione
Extraordinaria intellectum volo, quæ ratione Imperii conceditur Tho-
losan. Synt. jur. Un. l. 31. c. 31. n. 10. Peregr. de Jur. Fisci l. 5. tit. 2. n. 29.
Boer. d. loc. debetq; esse rarior monente Ros. d. l. Cæterum Ordinariam
sine qua merum Imperium excerceri nequit nulli non id habenti ho-
die esse concessam docent exempla in R. A. de Anno 1543. Tit. Die Mo-
nopolia vnd schädliche Fürkauff §. hierauff haben wir P. H. D. art.
135. Lucas de Penna in l. 1. col. p. C. de Privil. Schol. Guido Papa dec. 76.
n. 1. Roland. a. Valley. 2. Conf. 48. n. 26. huc pertinentes quæ cadunt in
commisum, nam & ex vectigali atq; ita fisco accrescunt. l. 14. de Pu-
blican. & Vectig. Sicbard. C. de Vectig. n. 11.

23. Sic sine vitio autoritate Magistratus & quidem summi
possidentur ejus bona, qui banni fulmine percussus est. Conf. de P. P.
Anno 1521. §. Die Peen aller Fridbrecher Ordin. Cam. p. 2. T. 9. Bl. in l. 3.
C. si pend. appell. mors interv. Felin. in c. quæ in Ecclesiarum X. de Consi-
tut. Andr. Tiraquell. in lim. Retractus gloss. 5. n. 10. Etenim quemadmo-
dum vita, sic eidem illi impune bona eripi possunt arg. l. 1. §. 2. de aleat.
l. in suis ff. de Liber. & posthum. her. inst. Br. in l. nec in ea D. ad L. Jul. de ad-
ult. cum Imperii hostis sit Zanger. de Except. p. 2. c. 8. quam banni pœ-
nam seculares tantum, non etiam Eceleſiastici Principes perpetiuntur
Gail. de P. P. l. 2. c. 4. n. 21. c. nimis X. de Jurejur. Sed ejus loco omnibus
Privilegiis & Regalibus privantur Mynsing. 1. Obs. 90. ut pote quorum
ratione Imperatori, quemadmodum personæ & ordinis Pontifici sub-
jecti sunt Sixtinus de Regalibus l. 1. c. 6. n. 59.

24. Supra memoratis non inconvenienter accensetur Titu-
lus

lus quò quis rem alienam ob violentiam à domino àdmissam conse-
quitur, cum legis autoritate ejus fiat cui per vim est ablata, *l. si quis in-
sansom C. unde vi §. 2. f. de vi bonor. rapt.*

25. Sed & Constitutum modus est sine traditione nudis verbis
transferens dominium, *Tiraquell. de Jur. Const. Possess. p. 2. ampliat §.
quales & alios sex enumerat, gloss. in l. 3. de acquir. vel amitt. Poss. §. c. 2.
X. de Consuetud.* Est autem Constitutum cum quis vendens, donans, aut
aliter concedens rem, constituit possidere se ejus nomine cui eam con-
cessit, & hoc casu quoq; constituens constitutarium ministerio suo pos-
sessorem facit, *l. quadam mulier §. ibi; Dd. de Rei Vindie. l. 18. de A. vel
A. Poss. Rol. à Valh. 1. Conf. 54. Specul. Tit. de Empt. & Vend. §. 1. Castrens.
l. 2. Conf. 71. Tiraquell. cit. loc. ampl. 22. c. cum venisset ibiq; Dd. de Re-
stit. Spolias.*

26. Successorius quoq; titulus seu pro herede legitimus est, cum
aliena à defuncto bona fide possideri coepta civilis, vel Prætorius, hæres
verus, vel ex iusta causa opinans se heredem esse usucapiendo acquirit;
L. p. pro herede l. 33. §. 1. vers. hoc amplius de usurpation. quem perpe-
ram pro inlegitimo habent *Dd.* ut recte supinitatem eorum & errorem
redarguit *Oldend. Introd. in class. 3. n. 7.* An vero sui pro herede usu-
capere possint tortuosum est, & diversis expositum opinionibus? Ego
adfirmativæ adstipulari malo cum *Vigl. Zuichem. ad §. 2. f. de Hered.
qual. & differ. Bocer. class. 5. disp. 22. §. 21. Vaud. l. 1. q. 4. Cujac. π. ad C.
pro hered. Duaren. ad tit. de Liber. & posthumis hered. inst. c. 3. quicquid
etiam contra molitur, Donellus 5. Comment. 14. Wesenb. in π. d. t.
& eorum assecla.*

27. Similiter rectè pro legato possidentur & adquiruntur res alie-
næ, etiam viventis, quamvis non jure legata, *l. f. pro legat. l. 5. ib. dum-
modo revera legata sint, aut esse putentur, l. 4. §. ib. Cæpol. pro legat. n. 6.*

28. Pro dote vero, cum marito ad sustinenda matrimonii onera
datur in dotem res vel propria, vel aliena *l. doce ancillam C. de Rei
vind. l. 6. §. 1. l. 64. de Jur. dot. l. 11. solut. matrim.* qui Titulus si mu-
lierem intuearis lucrativus est, si maritum onerosus *l. ult. §. 1. verb.
sciens ff. que in fraud. credit. l. 1. C. de dot. promiss. l. 20. C. de Jur. dot.
l. 2. C. de Oblig. & Action. Br. l. L. Mevia §. fundus soluto matrim. gloss.
in l. si donaturus §. 1. de Condict. caus. dat. caus. non seq.* De donatione
propter Nuptias quæ vice mutua à marito uxori in securitatem dotis (cui

& æqualis esse debet *Novell. 97.*) datur, quoad acquisitionem idem esto
judicium quamvis hæc hodie penitus ex usu sit sublata ut testis est *Cuj.*
5. obs. 4 ut & de donatione simplici propriæ vel alienæ rei, *l. 1. pro donat.*

29. Ab his non longe discedunt Arræ & sponsalia: Illarum
nomine ut plurimum annulus, *Plinius l. 33. c. 1. Juven. Satyr. 6.* medi-
cinali sinistrae manus digito gestandus, & *femina 30. q. 5* (cujus perele-
gantem rationem reddit *Macrobius l. 7. c. 13. & Gellius l. 10. c. 20.*) olim non
utriq; coeuntium ut putat *Accurs. ad l. mulier s. qua omnia C. de spon-*
sal. sed soli sponsæ docente *Cujac. 4. Observ. 26.* hodie invicem dan-
tur, *Dn. Mevius ad Jus Lubec. l. 1. T. 6. n. 2.* & alterius ob culpam non
secutis nuptiis recte acquiruntur aut usucapiuntur, *l. 3. & 5. C. d. t.*

30. Hæc vero sunt mutua inter Sponsum & Sponsam donaria, quæ
inito matrimonio penes eum remanent cui data, non secuto per culpam
ejus qui accepit, redduntur in simplum, eò quod dedit amisso, per cul-
pam ejus qui dedit, non redduntur: *l. 15. C. de donat. propt. Nupt.* Quod si
vero vel hanc vel illum mori contigerit, ad sponsam aut heredes ejus in-
didem unde profecta sunt solida semper refluent, ad sponsum non ali-
ter quam si nunquam labia sponsæ delibavit, etenim si in osculum jam
applicita ea est, à sponso profecta dividuntur ex æquo inter sponsam &
sponsi heredes, *l. 16. C. d. t.* scilicet decet basi dulce compendium & qua-
lemcunq; sponsæ fruitionem aliquò remunerari: Non est prætereun-
dum matulinale donum germanis *eine Morgengabe*, donatio jure
civilis incognita, moribusq; præprimis Nobilium recepta, cum novus
maritus novam nuptam in solatium interfectæ virginitatis, & redosti-
mentum præstitæ operæ nocturnæ precioso aliquò donat, *Dn. Cothman,*
1. Consil. s. n. 33. quod mulier lucratur & ad heredes quoq; transmittit,
Pistor. p. 1. q. 44. n. 1.

31. Eadem ratione placuit ut si dem tibi ut mihi vicissim quid
des, ex tali traditione justâ possidendi causam oriri quæ ad Usucapionem
prosit, *Donell. s. Comm. 14* Ut & quod negotii dirimendi gratia datur cum
transactionum placitis lites sopiuntur, *l. 29. de usucap. l. 8. C. pro Empt.*
nam habet & transactio commutationis speciem, cum do ut à lite disce-
das, discedis à lite ut dem; cæterum lis debet esse justa, *l. 65. §. 1. de Con-*
dict. Indeb.

32. Idem agi constat in Emptione-Venditione, negotioq;
illi, simili *l. 74. de C. E. l. 1. 3. pro Empt.* si modo res non sit prohibita
alie-

alienari, §. 2. de Usucap. & habeat venditor jus vendendi, l. ult. C. de usuc. pro Empt. eidemq; sit satisfactum, §. 41. de Res. divis. l. 19. s3. de Contrah. Empt. l. 5. §. p. de Tribut. action. Sed illud hic titulus singulare habet, ut cum in cæteris iusta erroris causa idem operetur quod factum ipsum, hic verus requiratur contractus, tum & ut res pure sit emptæ, l. 2. §. 2. pro Empt. Unde in reliquis tantum traditionis tempus inspicitur, sufficitq; eo habere bonam fidem, l. 44. §. 2. l. 15. de Usucap. in Emptione, & Contractus, & traditionis l. 48. ib. nam improbe facit qui sciens rem alienam emit, improbe item qui alienam vendit, l. 1. 4. 6. C. pro Empt. in re tamen immobili sufficit emptorem habere bonam fidem, modo venditor sine vi nactus sit possessionem §. 2. vers. aliis quoq; J. de Usucap.

33. Vicem Emptionis. Venditionis obtinet in solutum datio l. 4. C. de Eviction l. 24. de Pign action. per quam & ipsam dominium transfertur, l. 4. C. qui bon. ced. poss. arg. l. 15. C. de Præd. & aliis rebus min. sin. decr. non al. cum creditori vel volenti, l. 15. de rejudic. vel nolenti, pro debita quantitate res mobiles, vel iis deficientibus immobiles, debitoris preciosissima quæ emptorem invenire non possunt, prævia iudicis æstimatione in solutum dantur, præstita de Evictione cautione per debitorem, Novell. 4. c. ult. Aut. hoc nisi C. de Solut. heic non est abscondens, quætere an à creditore qui pro certa pecunia fundum accepit in solutum, postq; pluri eum vendidit, superfluum possit debitor repetere? & nego.

34. Iustum quoq; titulum habet & capere usu potest creditor cui solvitur sive à debitore vero, sive etiam ab alio eo ignorante vel invito, pr. J. quib. mod. obl. toll. l. 17. C. de Solut. l. 23. s3. D. ib. l. 39. de Negot. gest. habente tamen administrationem liberam bonorum, §. ult. quib. alien. non lic. l. 9. §. 2. de aut. tut. unde à pupillo similibusq; solutum si exstat vindicari potest, si consumptum est liberatio contingit, l. 14. §. ult. de Solut. l. 19. §. 1. si cert. per. a l. 9.

35. Placet & succenturiare ludi titulum cum Oldend. cl. 3. c. 1. etenim quamvis aleæ forum calfacere Lege Talaria vetitum Plaut. milit. glorios act. 2. sc. 2. Horat. 3. Carm. od. 25. l. f. C. de aleat. Jul. Clarus §. Ludus l. 5. n. 1. Constantinop. synod. 6. c. 50. & Reipublicæ perniciosissimum Guevar. Horolog. Princ. l. 13. c. 14. Annibal Scorus ad 3. annal. Tacit. & ex hoc illicito exercitio tot suppululent vitia quot taxillorum puncta sunt Petr. de Raven. in suo alfab. in verb ludus hincq; amissa ludo repeti possint adusq; L. annos à quovis etiam ipso fisco all. l. f.

Caccialup. de Ludo n. 40. tamen non omnis interdicius, nam & qui ingenium acuunt ut Scaccorum *Rosel. de Rosel. l. 1. Conf. Crim. 46. glossa in aut. Interdicimus C. de Episcop & Cleric. & Virtutis causa sunt, corpusq; vegetant ut ludus pilæ teste Galen. in Comment. ad aphor. 48. p. 2. aphor. & ex eo Calvin. in verb. pila, & certamina Quinquertij l. 2. ff. de aleas. l. f. C. ib. recensita (quorum nomina nunquam apud alium se legisse dicit Alciat. l. 1. prætermissor. p. (mihi) 230) dum citra calliditatem in his ultra solidum seu aureum non ludatur permitti sunt. *Alexander ab Alexand. l. 3. Genial. diæ. c. 21.* His ergo evicta victoris lucro cedunt.*

36. Atq; hi tituli dominium plenum tribuunt; alii sunt qui saltem utile; quales sex hos sc. Emphyteusin, Feudum, Contractum Libellarium, Superficiarum, Locationem ad longum tempus, & Precarias ponit *Everhard. in loc. legal. arg. a Feudo ad Emphyt. n. 47.* quos taceo, quamvis ingratis, ne præscriptio amplior disputatio excrescat.

37. Sunt deniq; & ultimo Tituli qui possessionem ut plurimum, nunquam dominium tribuunt; Sic fructus & redditus qui ex beneficio Ecclesiastico (quod Præbendas canonicam, & Ordines vocant *c. ex multis S. constituimus 1. q. 3.*) citra Simonie notam *c. Sanctorum 1. q. 1.* proveniunt, iuste possidentur; clericis namq; in Ecclesiis Lyturgiam & sacra ministeria peragentibus solent quædam perpetuo concedi, quæ Collatio dominium non tribuit, sed justam tantum Possessionem, & liberam administrandi, fruendiq; potestatem *Wesemb. 2. Conf. 55. n. 2. ab. gloss. in c. 8. X. de Rer. Permut.* quamdiu munis istis funguntur *c. f. de Rescript. in VI.* unde ociosis aut denegantur *c. si quis sacerdotem & c. eos distinct. 81.* aut data ab his repetuntur *t. ff. de condit. caus. dat. caus. non secus.*

38. Tale & Precarium est, quod & ipsum Possessionem transfert, *l. 13. S. 1. de Publ. in rem act. l. 22. S. 1. de Noxal. action. l. 13. S. 7. l. 21. S. ult. de A. vel A. Poss. l. 7. S. 4. Comm. divid. l. 2. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Itemq; sequestrum quod regulariter Possessionem neutiquam, *l. 9. de Rei Vind. l. 6. depos.* sed tantum custodiam cum quadam cura, *l. 1. S. 10. de Collat.* ex conventionem tamen eam tribuit, *l. 17. S. 1. depos. l. 39. de A. vel A. Possess. Azo in Summ. C. de Probib. seq. pecun.* Est autem sequestratio rei litigiosæ, mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis apud tertium à duobus pluribusve facta depositio, *l. 110. de V. S. l. litibus S. 1. C. de agricol. & Cens. Gail. 2. Obs. 47. n. 10. Ord. Cam.*

Cam. p. 2. Tit. 21. §. vñd ob vol tit obberühretm Saß. Hujus census & pignus est, nam & hoc in creditorem Possessionem transfert, *l. 37. §. 1. de Pigner. action. l. 16. de Usucap. l. 13. de Publ. in rem act. l. 37. de Acq. rer. dom. l. 17. §. 1. ad SC. Vellei.*

39. Claudat feriem hanc titulus pro suo qui aliorum omnium communis est, & quasi succedaneus, nam & qui pro Emptore, donato, &c. possidet rectè pro suo dicitur possidere, *l. 27. de Usurpat.* attamen generalis hic titulus ad Usucapionem est inhabilis, *l. 1. pro suo*; quod si præcesserit causa aliqua specialis propter quam possid eam, hoc titulo rectè usucapio.

40. Recensitis titulis (qui probantur per instrumenta, testes *Costal. ad l. 1. de Publ. in rem action.* census præstationem *Tbolof. synt. Jur. Un. l. 3. c. 15. n. 9. &c.*) acquiruntur res corporales & incorporales *l. Ul. ff. de servit. l. 3. §. 2. de Action. Empt. l. 3. de Usufr. mobiles & immobiles, exceptis iis quæ commercio sunt exemptæ l. 30. §. 1. ff. de acq. poss. §. 2. de Inut. stipul.* quarum mobiles quidem quæ servando seruari non possunt rectè, *Extrav. ambitiosa de Reb. Eccl. non alien.* Immobiles paucis tantum casibus alienari & ita acquiri ex *§. 8. de rer. divis. l. 11. & aut. præterea C. de S. S. Eccles. Novell. 120. c. 1. c. 70. 121. q. 1.* notissimum est,

41. Titulorum compendia & nobiliores effectus hi sunt (1) quod ex iusto titulo bona fides (quæ diversissima *l. 28. §. 1. pro Empt.*) præsumatur. *l. ult. C. unde vi Forster. Jun. lib. sing. de domin. c. 9. n. 217. Peckius in c. possessor de R. J. in VI Cravetta 2. Consil. 146. 207. Innocent. in c. cum venisset X. de in integr. restit.* (2) quod nemo causam possessionis alii eam scire expetenti dicere cogatur *l. 11. C. de Heredit. Petit. l. 7. C. de Testib. l. 4. C. de Edend. l. f. de Rei Vind. nisi mota hereditatis petitione adversum se Wurm. 1. Practic. Obs. 26. aut Juris præsumptione militante arg. c. f. X. de jurei. & l. 5. §. 1. de probat.* (3) quod sine titulo non procedat Usucapio *l. 24. C. de Rei Vind. l. V. §. cum autem de Usucap. Transf. l. f. C. Ne de stat. defunct. post quinq. c. si diligenti de Præscriptionibus l. 4. C. de Præf. long. tempor. nisi realis servitus l. 10. D. si servit. Vind. l. v. ff. de aqua & aqua pluv. arcend. l. 3. §. 4. de aq. Cot. & Æst. l. 5. §. 3. de itinere act. priv. & alia quædam incorporalia præscribantur *Balbus de Præscript. p. 2. p. 4. princ. post princ. q. 2.* (4) quod exoneretur probandi necessitate qui titulum habet, & per titulum possessionem c. *sape X. de Restit. Spoliat. c. ad aures de Præscript. c. ex litteris de Probat. l. 16. C. ib. §. 4. de Legat. Menoch. 2. arbitr. jud. quæst. 48. n. 12.* (5) Quod iuste rem habens lucretur fructus industria sua partos *l. 45. de usur. l. 136. de R. J. §. 35. J. de Res. div.**

42. Quod si tamen quis hæc omnia magis possessionis quam titulorum commodo acceptum ferre velit, cum eo equidem non pugnabo, quippe cum alterum alterius sequela sit, deurq; hic nimis quam pulchra harmonia
justus


justus enim titulus justam possessionem, justa possessio justum dominium tribuit, & ex adversum ubi vitiosus titulus, ibi vitiosa possessio, vitiosum dominium imo nullum.


43. Contraria sunt quibus possessio & dominium amittitur; titulus enim quo possessionem tueor possessione, & titulus quo ajo me dominum dominio sublato tollitur & evanescit, Utrumque vero horum amittitur vel volentibus nobis vel invitis, & volentibus quidem Possessio amittitur vel animo solo *l. 3. §. 6. l. 44. §. p. l. 34. de acq. vel amitt. poss.* vel animo & corpore simul *l. 8. ibid. l. 153. de R. J.* ut & si in locum nostrum purum mortuum inferamus *l. 30. §. 1. d. t. si rem sequestremus l. 17. §. 1. de pos. si novum opus nunciemus in nostro nudis verbis l. 5. §. 10. de Nov. Oper. Nunc.*

44. Ingratis vero nostris ea privamur si vel rei species *l. 30. §. 4. al. tit.* vel Personæ conditio fuerit mutata, puta hostium potita *l. 19. 23. §. 1. Ex quib. caus. maj. in Int. rest. monachio ad sociata Aut. ingressi C. de S. S. Eccl. vita functa Sebast. Med. tr. Mors omnia solvit p. 2. concl. 8.* cum rem nostram depositarius vel commodatarius sibi caperit possidere negans se restitutum *l. 47. ib. vel flumen l. 3. §. 17. ib. l. 12. §. ult. de Reb. aut. jud. possid.* aut privatus autoritate propria *l. 25. §. ult. ib. de poss. l. 1. §. ult. de Furt. aut Magistratus occupat. l. 30. §. 2. ib. Borcholt de poss. c. ult. n. 22.*

45. Simili modo dominium vel invito vel volente domino amittitur, volente ut traditione *§. 40. de R. D. l. 20. C. de Pact. Manumissione pp. de Libert. l. ult. C. de Reb. alien. non al. abjectione animo non habendi amplius l. 1. pro derel. Usucapione l. 28. de V. S. Invito; ut cum fera bestia se recipiant in libertatem naturalem *l. 3. 4. de A. R. D.* cum ædificia nostra in littore posita mare de prædatur *l. p. de Rev. divis.* cum ob delictum res fisco accedunt *l. n. §. 2. l. 14. de Publicanis* aut tanquam indignis auferuntur *l. 3. D. & C. de his que ut indign. aufer.* cum bona publicantur *l. 1. de Bon. damn.* qua tamen restrictior poena facta per aut. *Bona damnatorum C. d. t.* vitiantur etiam quoque tituli cum res incipit fieri litigiosa, possessore quippe in mala fide constituto non potest non tituli integritas corrumpi & adulterari, nisi de integro aliò post litem contestatam possessio corroboretur. Ecce tibi TITULO Sex infinitis paucillulos, quasi ex uberi videmia racemum unum aut alterum: acquisitionem per arrogationem *§. 1. J. de aquis. per arrog. j. us accrescendi §. ult. de donat. ad signationem libertorum §. 1. J. de assign. libert. Mancipationem Ulpian. T. 19. Emptionem sub corona Varro l. 2. de R. R. c. 10 Gellius l. 7. c. 4. in jure Cessionem & aliquam multos alios mitto, quorum ne nomina quidem mihi commemorare integrum est nefas habenti scita academia transgredi; aliis proin cursu Lampada trado gratias debitas exsolvens**

DEO UNI ET SOLI.





the scale towards document

nd ob wol in obberühretm Fall. Hujus census & pignus
ditorem Possessionem transfert, l. 35. §. 1. de Pigner. action.
Publ. in rem act. l. 37. de Acq. rer. dom. l. 17. §. 1. ad SC. Vellei.
Item hanc titulus pro suo qui aliorum omnium com-
cedaneus, nam & qui pro Emptore, donato, &c. possidet
possidere, l. 27. de Usurpat. attamen generalis hic titulus
inhabilis, l. 1. pro suo; quod si præcesserit causa aliqua spe-
possid eam, hoc titulo recte usucapio.

titulis (qui probantur per instrumenta, testes *Coffal. ad
tion.* census præstationem *Tbolof. synt. Jur. Un. l. 3. c. 15. n. 9.*
es corporales & incorporales l. *Ul ff. de servit. l. 3 §. 2. de
Usufr. mobiles & immobiles, exceptis iis quæ commercio
ff. de acq. poss. §. 2. de Inur stipul.* quarum mobiles quidem
non possunt recte, *Extrav. ambiciosa de Reb. Eccl. non alien.*
ntum casibus alienari & ita acquiri ex §. 8. *de rer. divis.*
C. de S. S. *Eccles. Novell. 120. c. 1. c. 70. 121 q. 1.* notissimum est,
compendia & nobiliores effectus hi sunt (1) quod ex ju-
(quæ diversissima l. 2 §. 1. *pro Empr.:*) præsumatur. l. ult. C.
lib. sing. de domin. c. 9. n. 217. *Peckius in c. possessor de R. J.*
onsil. 146. 207. *Innocent. in c. cum venisset X. de in integr. re-*
causam possessionis alii eam scire expetenti dicere cogatur
etit. l. 7. C. de Testib. l. 4. C. de Edend. l. f. de Rei Vind. nisi mo-
one adversum se *Wurms. 1. Practic. Obs. 26.* aut Juris præ-
e arg. c. f. X. de jurei. & l. 5. §. 1. *π. de probat.* (3) quod sine
t Usucapio l. 24. C. de Rei Vind. l. V. §. cum autem de Usu-
Ne de stat. defunct. post quinq. c. si diligenti de Prescriptioni-
long. tempor. nisi realis servitus l. 10. D. si servit. Vind. l. v. ff.
oluv. arcend. l. 3. §. 4. de ag. Cot. & *Æst. l. 5. §. 3. de itinere*
edam incorporalia præscribantur *Balbus de Præsript. p. 2.*
q. 2. (4) quod exoneretur probandi necessitate qui titulu ha-
possessionem c. sepe X. de Restit. Spoliat. c. ad aures de Præ-
de Probat. l. 16. C. ib. §. 4. de Legat. *Mench. 2. arbitr. jud.*
Quod iuste rem habens lucretur fructus industria sua partos
de R. J. §. 35. *J. de Res. div.*

tamen quis hæc omnia magis possessionis quam titulo-
ceptum ferre velit, cum eo equidem non pugnabo, quippe
ius sequela sit, deturq; hic nimis quam pulchra harmonia
justus